REPETITIO SCIPIONIS GIARDINI

DE MACERATA,

Diuina pietate Iur. Vtriuſ. Doctoris, ac in Almo ipſo Maceratenſi Gymnaſio Veſpertinę ordinarię lectionis interpretis.

Super text. in l. ſi is qui pro emptore ff. de vſucapion.



MACERATAE,
Apud Sebaſtianum Martellinum. M.D.LXXX.
DD. Superiorum permiſſu.



DIVO SANCTO IVLIANO

CONFESSORI,

Protectori Illuſtris Ciuitatis Macerata.

DVM ego meute & cogitatione complector Beatiſſime Sancte Iuliane, currentem vitæ tuæ progreſſum: Videor mihi altiſſimi exemplaris CHRISTI IESV crucifixi, apprime vinum ſimileq; omnino ſpeculari exemplum: Quippe cum ſicut ab ineffabili illa ſanctiſsima quam temporis plenitudo, clementi diuinaque ipſius ſanctiſsimæ TRINITATIS ita librante trutina, quandoq; tandem attulit hora: In qua SPIRITV SANCTO almam virginem obumbrante, e ſinu Patris ſui omnipotentis ſactoſancta eius voluntate, celeſtiq; nutu delapſum (ò infinitam charitatem) æternum conſubſtantialeq; ipſius DEI verbum; humanam carnem aſſumpſit, illamque vnione hypoſtatica, ſuæ æternæ Diuinitati innexuit; ac VERVM caro factum eſt: DEVS & HOMO datus eſt; Dominus IESVS; in ſacro & ex benedicto ipſius ſanctæ MARIAE Virginis vtero, vſque ad duriſsimam illam horam; qua præ ipſius creatoris pietate in aſſumpta humanitate, mortem pro peccatis noſtris acerbiſſimam ſuſtinentis; petræ ſciſſæ ſunt, & velum Templi Solomonis apertum eſt à ſummo vſque ad deorſum: Crucem indefinenti filo infinitis animi agonibus corporiſque ſacri tormentis, grauem: aſperrimam: atque non niſi aliqua ex parte etiam Angelis cœleſtis Paradiſi comprehenſibilem, Humanum Redimendo genus; triginta & tres annos baiulauit. Ita tu ſanctiſsime IVLIANE Redemptus: à primis ferme cunabulis; cruciatibus animi quàm funeſtiſſimis torqueri, ac mirum in modum lachrimabiliter augi, diu noctuque cœpiſti: Nempe adhuc per quam apprime tenerus venator, feras per dira ſaxa, aſperos colles, inuia inſigniorum montium cacumina; diſtenſas planicies: caſuras rupes: ac denſa prorſus nemora, miro robore inſequens, beluas: audis vocem fugientis cerui, perquàm horribiliter vindici verſione, aduerſum te in hæc verba ſtrepentis, ac parentum futuram necem, Diuino Miraculo ita prædicentis.

Tempus erit, ne accerſe, tuo cum vulnere, (mirum
Ceruus ait) vitam fundet vterque Parens.

Sicque penetralia cordis tranſiici, gelidumque curſare per oſſa tremorem, ac totius iucunditatis diripi ſemina, miſerabiliter præſenſiſti: etenim

Figeris à verbo cerui, quem figere ferro
Tentabas; predæ ſis noua præda tuæ.

Ac non vltra ſub frigido Ioue vigilis validæque venationis lætitiam excipere: aut ſub lympida Phebi face frigidarum haurire ex nitidiſſimis fontibus, ſuauiſsimos potus aquarum: Nec ſub denſarum dulciſsimis arborum vmbris, placide vnquam exinde quieti, laſſa conſternere membra potuiſti: Sed fletu irrigans vultum: non modo Patrios lares; ſed & finitimas quoque Regiones omnino deſeruiſti, ac poſt varios caſus, demum perantiqui hoſtis inſidias, trucidatis Parentibus; tam inſigne Speculum auſterrimæ Chriſtianæ pœnitentiæ apparuiſti: Vt cœleſti nuntio certior factus fueris; Propitium tibi eſſe DEVM ſatque caſtigationi datum eſſe, atque ad celeſte Regnum, fore vt euolatura repente eſſet, tam vehementer pœnitens, ac tamdiu in acerbitatibus inenarrabilis pœnitentiæ penitus perſeueranter verſata, nobilis ac diuinæ iam gratiæ affluenti rore, rutiloq; fulgore euiteſcens, ſancta anima tua: vnde hæc de te ſacra ſequens, poſt cerui voces, teſtatur hiſtoria:

Poplitibus flexis, ſcelus hoc auerte, rogantem
Audiit Alma Parens, admonuitque fuge:
Carpit iter, venator eques, Patriamque, Parenteſque
Ignaros, Pietas nam monet ipſa fugit.
Extera Regna ſubit profugus, Regemque ſalutat

Nec fore ſe indecorem, datque petitque fidem.
Vxorem ducit, forma fideque potentem;
Quam D a v s *æterno fœdere ritè iugat.*
Excipit Hoſpitio ſoceros, abſente marito,
Et Thalamo coniux interiore locat.

Sed ò inuidi ſerpentis, fœtidam rabiem: atque pertinacis impudenter aduerſarij qui tanquã leo rugiens ſemper circuit quærens quem deuoret; teterrimam nacta confeſtim occaſione, ſubdolam machinationem. Dum enim ita piè intra parietes tuos domeſticos conquieſcũt cari genitores, ecce adeſt inuiſibilis ipſe humani generis ſordidus inimicus, ac funeſtum latenter vlulatus ſui virus cordi tuo callidiſsima ſuggeſtione infundit, atque aſſeueranter, triſti mendacio ait,

I, nunc; crede tutè, coniux: incautæ puellæ,
Dum procul es; iuuenem flagitioſa fouet.

Sed quid tentare nocebit? nunquid rem tam maximi momenti viſere meum non eſt, tecum ipſo cogitas; atque velox curſitas: & mulierem cum viro iacentem verè deprehendis: protinuſque nimis celeritee ebulliente coniugalis iracundiæ furore; Re haud diligentius excuſſa; dormientes ambos occidis (ò deflendam calamitatem) Parentes.

Ah quid agis, cur ignotum ſine crimine, (dudum
Quod fugis) obtruncas cum genitrice Patrem?

Egrederis obſcurum vndique Thalamũ: iam coniux tua obuiam tibi adeſt: miraris: palles; iam quid egeris animo comprehendis ploratu valido gemis: vxorem in hæc verba alloqueris.

Coniux, admiſi facinus, reuocabile non eſt;
Sed tamen hanc culpam debita pœna luet.

Diſtrahis conſenſu vxoris, te etiam in viam vitamq; pœnitentię diuino S p i r i t v s s a n c t i afflatu cõſtanter ſequẽtis; cõmunes locupletiſsimas facultates: atq; alibi vt multorum ſermonibus fama percrebruit ſuper fluctibus rapidiſsimi amnis, humana corpora ſæpius vorantis, latiſsimum graui ſumptu extruis lapideum Pontem: Alibi verò lectiſsimum prope ripas fluminis vt ſacræ tuæ teſtantur monumenta hiſtoriæ, erigis ſalubre hoſpitium, vt in eo infirmis ac peregrinis cum vxore piè inſeruiens: illoſq; traijciens gratis: tot vitas hominum D e o Redemptori ſeruares, illic per pontem: Hic verò per humeros, Domi autem erga infirmos & pauperes per cibos & potum & per diuerſa ſancti pijque obſequij miniſteria: Vt vel inexplicabilem perſonarum multitudinem tua virtute, incolumitati atque ſaluti redditã; pro duabus ablatis, reſtitueres: Quamobrem

Stas prope fluctiſoni ſtagnantes fluminis vndas
Traijciens humeris, inualidoſque leuans.

Nec propterea lachrymis, ac diuinarum laudum cantibus, ieiunijs; lectionibus ſacris; flagellationi corporeæ; ſanctiſque meditationibus vnquam parcis: Sed per prolixa luſtrorum curricula; pietati, & pœnitentiæ continuam nauans efficaciter operam: tandem diuinæ miſericordiæ vſqueadeo excitas caritatem, vt per Angelum e cœlo miſſum reuolantẽ ad cœlos, qui ſe percuſſum à nimio frigoris impetu virum ac ferme omnino deficientem confinxerat: & pro quo lubenter tranſijciendo ſuſcipiendoque incredibilem decurrentium aquarum frigiditatem media nocte ſuſtinueras, & quem tam piè cuſtodire ſumma ope curabas; has fœliciſsimè voces audieris.

Sat lachrymis pœneq; datum, tibi culpa receſsit.
Mi hæc D e v s *aligerum verba referre iubet.*

Crucem igitur tuam, ſpontaneæ tibi ipſi indictæ aſperrimæ, laboribuſque quotidianis onuſtæ; ac publice pieque vtilitati, deſeruientis pœnitentiæ; vſque in finem fortiter baiulaſti. Quare vt eadem ſacra tua de te canit hiſtoria,

Poſt varios caſus cæleſtes ſpiritus auras
Tranſuolat in terris membra caduca iacent.

Sed cur quæſo caduca dicantur, cum tam mirabiliter inconſumpta à diuina voluntate ſeruentur, vt qui bracchium tuum manumque in hac propterea beatiſsima Ciuitate Maceratenſi qui eſcentia viderint: protinus inter omnes quæ hodierna luce cernuntur Sanctorum Reliquiæ, hanc dubio omni procul indicibiliter collucere probè noſcãt; ita vt hinc facile ſua quiſque celſiori contemplatione intelligere poſsit quam inſignis perſeuerans ardua, & pergrata fuerit in conſpectu D e i benedicti pœnitentia tua ſanctiſsima, cuius vix tenuem apprimeque exiguam retuliſſe dignus ſui particulam, Diue ſancte I v l i a n e glorioſe. Tuæ igitur inclytæ preces apud Deum altiſsimum P a t r e m & F i l i v m & S p i r i t v m S a n c t v m, humillimè genuflexus precor, fundantur pro Chriſtianis omnibus, ac pro tuis ſigillatim famulis, atque has repetitionum mearum primitias in tuæ ciuitatis almo Gymnaſio elucubratas, tuoq; ſanctiſsimo Numini merito conſecratas propitio haud dedigneris ſuſcipere intuitu: A v e que ſine fine ſemper, in nomine glorioſiſsimo I e s v. Amen.



IN NOMINE D. N. IESV CHRISTI *Nazarei, pro ſalute noſtra crucifixi.* EXPLICATVRVS ſenſum, iam reſpectu intellectus ſui, quàm deciſionum inde aut expreſsim emanantium, aut tacitè incluſarum, aut per Iureconſultum præſuppoſitarum, ſuper eleganti, admodumq; magiſtrali textu in l. Si quis pro emptore ff. de vſucapion. Qui in ipſa contexturę ſuæ ratione difficilis, in Accurſiana verò paraphraſi difficilior, & in ſubiecto ſuæ materiæ difficillimus, communi exiſtimatione creditus eſt: Vt tanquam in reſulgenti lympiditatis cuiuſdam ſpeculo, aut velut in aperta quadam planicie ſpectanda proponantur ea, quæ alioquin obſcuræ noctis imaginem, aut nigerrimi (quod aiunt) Plutonis ſimulacrum præ ſe tuliſſent: & haud aliter, quàm ex faucibus Acherontis ſubtracta veritatum monumenta, quę diutius ſanè nimis latuiſſe videntur, mentis conſtrictæ interpretationis: cuique pro ſua ſolerti humanitate, accuratiori ſtudio legenti, nitidiſsima facilitate exhibeantur; conſultius fore arbitratus ſui, ſi veritatis duntaxat puriſsima perſequi elegerim dogmata, omiſſa ſigillatim indicatione eorum, in quibus vehementer dilapſi cernuntur tum celeberrimus legum auriga Bartholus, tum cæteri non modo vetuſtiores ſed & recentiores quoque legalis diſciplinę ſcribentes, quàm ſi ipſorum iuris interpretum errata ſolerti recitatione commemorarem: Si enim hæc præſtare voluiſſem, in infinitum excucurriſſet tractatus iſte noſter: quippe cum tam ingens ac propemodum inexplicabilis errorum ſylua, & fictionum inductiuæ, priuatiuæ, atque tranſlatiuæ ſuperfluitas quo ad intellectum huius noſtræ legis, & ſolutionem obiectorũ eius pertinet, interpretationi eius admixta deprehendantur; vt ſi aliorum priuatim ſententias, pace ipſorum dixerim magna ex parte extra veritatis orbitam diuagantes oratione complecti voluiſſem profectò pene ſingulis carminibus aliquem annotare aut inſignem aut non leuiuſculum errorem, ſtylus me coegiſſet, & propterea non ſolum mirificè rerũ varietas excreuiſſet, ſed ipſe quoque potius vt cęteris reprehenſioni eſſem, calamum manu deſumpſiſſe viderer; quam quo tandiu expetitam veritatem breui lectiſsimaque dicendi methodo indicarem, idque eo libentius feci quoniam dum noſtras haſce quiſpiam peruigili ſtudio traditiones conſuluerit, eaſdemq; cum cæteris contulerit, inde nitido prorſus intuitu, abſolutiorique calculorum numeratione probè noſcere poterit, quos veros legum ſenſus haud hactenus acceperint interpretes, & circa quæ ipſe aut cum cæteris, aut præter cęteros, aut contra cęteros ſentiam. Quamobrem non iniuſtis rationibus etiam literalem quandã expoſitionem inſerui, vnde penè penitus veritatis medulla iam pridem validiſsimè contecta, enucleatiſsimè detegitur: vt deinceps protinus totius huius materiæ (quam difficillimam opinabantur) fila, funiculoſque contexens, eam velut in denſam ſua firmitate, albeſcentemq; ſuo candore telam apprimè laudabiliter, prout in Domino IESV fidendum eſt, redigam; ac propterea liqueat, quòd materia ipſa facilis, Accurſiana autẽ eius interpretatio lõgè facilior, & textus ipſe admodũ facillimus redditur. Attẽde igitur ſubtili, chriſtianoq; pro ſua caritate animo Lector humaniſ-
1 ſime, & hæc, qualiacunq; ſint, hilari vultu excipe. Prioriq; loco hæc † quinq; nõ inſcitè, niſi me fallit ani-
mus, principia, præuiæ luctationis cauſa, vinculis memoriæ lubenter affigere haud dedigneris. ¶ Primò,
2 quòd † duo facta non finguntur, neque reſtituuntur ab eadem fictione: alioqui duæ eſſent fictiones, & nõ
vna fictio; aut duo eſſent capita fictionis, ſuper duobus factis: de qua re patet infra in literali expoſitione
huius legis ſub verſiculo quoniam ea quæ ſunt facti, nu. 23. & in gloſſ. in verbo vſuceptum nu. 37. & in
3 gloſſ. in verbo per ſeruum nu. 78. ¶ Secundò, quòd † hæreditas repræſentat perſonam defuncti in his quę
ſunt iuris, l. j. §. Sceuola ff. ſi quis teſtam. lib. eſſe iuſſ. fuer. à contrario ſenſu, & l. hæreditas in multis
4 ff. de acquir. rerum dominio. Quod ampliatur, † etiam ſi verſemur in ficta hæreditate, ſeu in hæreditate ficti defuncti. Vnde per ſeruum hæreditarium acquiruntur dominia, obligationes, & actiones, quoniam iu-
ris ſunt, hæreditati eius, qui captus eſt ab hoſtibus, & poſtea deceſsit apud hoſtes, l. in bello §. ſi quis capia-
5 tur, verſic. diuerſum, & l. penultima in fin. infra de capt. & poſtl. reuerſ. Limitatur autem, quando † licet ſimus in his quæ ſunt iuris, tamen factum perſonæ domini, aut ſubſtantia operæ requiritur, dict. l. hæreditas in multis ff. de acquir. rerũ dominio, vt enodatius tradidi infra in gloſſ. in verbo hæreditates nu. 85. & ſeq. ¶ Tertiò, quòd † hæreditas in his quæ ſunt facti, & animi, vt poſſeſsio, non repræſentat perſonam defuncti, dict. l. j. §. Sceuola ff. ſi quis teſtam. lib. Cùm igitur, vt conſtat infra ſub gloſſ. in verbo non ha-

bere

7 bere num. 5a. plure ſint, ſed precipuè † quatuor, quæ per ſeruos acquiri poſſunt dominis, nempe poſſeſ-
ſio, dominia, obligationes, inſuper & actiones, licet ſingula omnis prædicta infinitis propemodum modis
8 acquiri poſſint, vt legato, teſtamento, ſtipulatione, emptione, ceſsione, & ſimilibus, atque traditione; Ta-
men vnicus duntaxat terminus, nempe poſſeſsio ille eſt, qui facti eſſe intelligitur, & † facti eſſe decla-
ratus eſt in hac materia à legibus noſtris, dicto §. Sceuola l. j. ff. ſi quis teſtam. liber. & l. denique ff. ex
9 quibus cauſis maior. quæ ſanè † poſſeſsio cùm attingat intrinſecam eſſentiam vſucapionis, efficit quòd
in vſucapione, quæ iuris eſt, tamen propter naturã ipſius poſſeſsionis, ſine qua non datur eius formalis
10 eſſentia, l. vſucapio eſt ff. tit. noſtro † hereditas non poſsit repræſentare perſonam defuncti, l. fin. §. fin.
infra tit. noſtro, & l. noſtra in fin. verſic. nam hæreditates, & dict. l. j. §. Sceuola cum ſimilibus, licet in do
11 minio, & obligatione, ac ceteris, quæ in intrinſeca eorum eſſentia abſolutè ſunt iuris † quàmuis cauſa eo-
rum efficiens, vt traditio, vt contractus, ſint factum, ſecus ſit: vt infra in gloſſ. in verbo hereditates. Hec en
tem iuris regula, quòd hæreditas in his quæ ſunt facti, vt poſſeſsio, minime repræſentet perſonam defun-
12 cti, dicto §. Sceuola, † limitatur, quòd tamen etiam in his quæ ſunt facti, & animi, hereditas repræſentet
perſonam defuncti, quando agitur de re antea inchoata perficienda, vt de complenda vſucapione iam ce-
pta, l. cepiã, & l. nunquàm §. vacuum, infra tit. noſtro, quod iure ſingulari factum eſt, l. iuſto §. nondum,
13 infra eodem tit. noſtro. Reſtringitur autem hæc limitatio, vt intelligatur † quò ad hæreditatem veri defun
cti, Cæterum ſi verſemur in hæreditate ficta, ſed non veri defuncti, ſecus eſſet, quoniam tunc etiam ſi tra-
ctetur de iam cepta vſucapione complenda, impoſsibile eſt, quòd hæreditas repræſentet perſonam defun
cti, quippe quia duo concurrunt: primò, quòd ſumus in hæreditate ficti defuncti; ſecundò, quòd ſumus in
caſu, in quo agitur, vt hæreditas in his quæ ſunt poſſeſsionis, & ſic facti, & animi, repræſentet perſonam
defuncti: quibus duobus concurrentibus, ſequeretur, quòd fictio ſuper facto de his quæ ſunt facti, ver-
14 ſaretur ſuper alia fictione facti: ac propterea † accidens accidenti accideret per rationem eiuſdem prædica-
menti, quod fieri nequit, vt traditum eſt à nobis infra in gloſſ. præfata hæreditates, & probatur ex text.
15 in l. j. ff. de vſufruct. legat. ¶ Quartò † quòd licet ignoranti poſſit acquiri poſſeſsio, tamen vſucapio
non poteſt inchoari niſi ſcienti l. j C. de acqui. & retin. poſſeſſ. fallit autem in cauſa peculiari in qua po-
16 teſt † etiam domino ignoranti vſucapio inchoari & perfici gloſſ. in d. l. j. C. de acq. poſſ. in l. ij. § Celſ. ff.
infra pro emptor. l. iuſto. §. ſi. infra tit. noſtro. & l. penult. inſ. de captiuis & poſtl. reuer. ¶ Quintò quòd cũ
captus ab hoſtibus poſſit vel reuerti in ciuitatem vel apud hoſtes poſtremum obire diem. Hinc factum eſt
17 vt † Duæ fictiones ſuper his duobus factis & caſibus proditæ ſint: altera eſt fictio poſtliminij, quæ fingitur
quòd reuerſus ſemper in ciuitate manſeris, alia verò eſt fictio legis Corneliæ, qua fingitur quòd captus qui
apud Hoſtes deceſſerit, intelligatur hora captiuitatis mortuus §. ſi ab hoſtibus & §. ſequen. inſtit. quibus
18 mod. ius. patr. poteſt. ſoluit. & explicatius enodauit hæc Iaſ. col. j. ¶ Diuiditur autem hic tex. in duas
partes principales, in primo loquitur quãdo is qui captus eſt ab hoſtibus antea perſemetipſum poſsidendo
ceperat vſucapere; in ſecunda parte loquitur de eo qui dum captus fuit nondum ceperat poſsidere ne-
que vſucapere, ſed poſt eius captiuitatem ſeruus ipſius emit ex cauſa peculiari & tenere cepit: Secunda
19 in tex. quod ſi ſeruus † ¶ Ad compendium verò hoc pacto reuocari poteſt. Poſsidens per ſemetipſum ſi
capiatur ab hoſtibus non iuuatur fictione poſtliminij, neque fictione legis Corneliæ, vt interim comple-
ta intelligatur vſucapio: Sed ſi poſt captiuitatem ſeruus ex cauſa peculiari emerit compleri potuit vſuca-
pio ſi reuertatur, virtute fictionis poſtliminij, licet ſi apud hoſtes deceſſerit fictio. l. Corneliæ non proſit
ſucceſſoribus vt compleri potuerit vſucapio, quia heredes in iſto caſu vſucapionis nõ repræſentet per-
ſonã defuncti. Nunc autem ſicut ratio dilucidæ interpretationis admonet: audi literalem noſtri contextus
expoſitionem; quæ & præſtat munus pro figuratione caſus (quem vel per te ipſum tua ſapientia effingas)
& aperit tum genuinum intellectum, tum etiam notabilia quoque ipſius legis principaliora ac ſcitu digna:
quæ inſuper notabilia noſtri contextus inſigniora, ſume ex ſex illis deciſionibus, quas oratione comple-
xus ſum infra in gloſſ. in verbo per ſeruum; nu. 51.

I E S V.

LITERALIS EXPOSITIO.

20 *Si quis pro emptore poſsidebat* † Intelligas per ſemetipſum ex neceſsitate in caſu poſtli-
minij, quippe quia alioqui ſi per alium poſſidebat, ſecus
eſſet: quoniam compleretur vſucapio vt infra in gloſſa in verbo per ſeruum: Verum enimuero in caſu
legis Corneliæ intelligas quoque per ſemetipſum ſed nõ ex neceſsitate, cum idem eſſet vt minime cõple-
retur vſucapio etiam ſi per aliũ vt per ſeruũ poſſediſſet captus, prout in eadẽ gloſſ. Per ſeruũ. redditur ma-
nifeſtum: Sed tamen ideo intelligas per ſemetipſum etiam in caſu legis Corneliæ, quia in tali caſu propo-
nit quæſtionẽ hic, ſuper vtraque fictione Paulus I.C. vt patet infra. in gloſſ. in verbo poſsidebat: & ſem-
per intelligas de gloſſationibus noſtris, tametſi omnium omnino minimum me eſſe ſentiam, inter legalis
diſciplinæ interpretes; non autem intelliges de gloſſationibus accurſianis, quæ vix eſſent vt in hac l. poſ-
ſunt intelligi accurriſſe omnino tenebris, quas vocant iuris ciuilis; aut accurriſſe caligant (quæ noſtræ
eſt miſeriæ) obſcuritati, atque perplexitatibus quibus inuolui videbatur huius noſtri contextus litera,
hactenus ni fallor in genuino ſenſu ſuo, minime prorſus accepta; Eueneritque vt hic qui pro empto-
re per ſemetipſum poſsidebat ab hoſtibus captus fuerit, ante ſcilicet vſucapionem completam, viden-
dum eſt, vt inquit ipſe Paulus, an heredi eius procedat vſucapio, nempe virtute fictionis legis Corneliæ;
nam ex veritate interrupta fuerat vſucapio, propter captiuitatem, vt inquit litera ibi, Nam interrumpi-

tur

tur vſucapio : & ſic quęſtio erat ſuper illu qui deceſsit epud hoſtes, & propterea quæſtio verſabatur circa
virtutem fictionis legis Corneliæ: Et reſpondet Paulus per deciſionem negatiuam, videlicet quod hæredi nō
complebitur vſucapio, idque huiuſmodi argumentatione includit; dicens ſi ipſi reuerſo non prodeſt fictio
Poſtliminij, quia verum eſt ipſum deſiiſſe poſſidere, ergo ſcilicet eo mortuo hæredi eius non proderit fi-
ctio Corneliana : Arguendo negatiuè & per identitatem rationis de fictione poſtliminij ad fictionem
legis Corneliæ. Hac autem deciſa quæſtione alia ſecundo principali loco pauliſper difficilior exurrexit,
nempe quid iuris ſit in his, quæ poſt Domini captiuitatem emit ſeruus ex cauſa peculiari; an hoc caſu ſal-
21 tem virtute fictionis legis Corneliæ complebitur ſucceſſoribus vſucapio. † ex cauſa antè peculiari emiſ-
ſe præſupponitur pro conſtanti, & tanquam notiſsimum; quippe cum alioqui indubitati iuris ſit, quod in-
choari nequit vſucapio neque in caſu poſtliminij, propter regulam tex. in l. iuſto §. fi. infra tit. noſtro: neq;
in caſu legis Corneliæ propter text. in l. in bello §. facti ibi vel ſi qua poſtea ex cauſa peculiari, infr. de
capt. & poſtli. reuerſ. & patet infra in gloſſ. in verbo vſucaptum : & in gloſſ. infra in verbo per ſeruum
ibi tertia deciſio : Quandoquidem ignoranti domino in his quæ extra cauſam peculiarē, ſed ex cauſa Do-
22 minice emuntur, non inchoatur vſucapio; l. j. & illic gloſſ. C. de acq. & retinenda poſſ. † & ſcientia non
23 fingatur à poſtliminio nec à lege Cornelia, vt dd. Iuribus quoniā † ea quæ ſunt facti vltra factū principale
quod fingitur, nō intelliguntur cōfingi ab eadē fictione, l. Denique ff. ex quibus cau. maior. & patet in d. l.
iuſto § fi. infra tit. noſtro. Vbi ſecundus terminus qui eſt facti, nempe ſcientia non intelligitur per eandem
fictionem confingi, alioqui fictio quæ fingit vnum, diceretur fingere duo, & plures fierent fictiones, dum
vna præſupponitur fictio ſuper vno facto, quod eſſet implicatio quoque contradictionis: Ex contra ea quę
diximus ſupra in priori præludio nu. 2. Et reſpondet Paulus huic ſecundæ quæſtioni (videlicet dum quæri-
tur quid iuris ſit in his quę ſeruus ex cauſa peculiari emit poſt captiuitatem) quòd licet in caſu poſtliminij
cōpleatur vſucapio vt ibi in tex. intelligi vſucaptum; Tamen quòd minime complebitur vſucapio in ca-
ſu legis Corneliæ, reiecta Marcelli contrarium ſentientis opinione : & inſuper neglecta Iuliani in hoc
caſu hinc inde titubantia vacillatione; vt patet in fine ibi, ſucceſſoribus locum non habere vſuca-
24 pionem; quod probat Paulus argumentatione huiuſmodi inquiens; Quemadmodū † Poſtliminio reuer-
ſus plus iuris habere poteſt in his quæ ſerui egerunt ante captiuitatem, & ſic in his quæ per ſeruos poſſi-
debat ante captiuitatem, quo caſu completur vſucapio, quàm in his quæ per ſe vel per ſeruum poſſide-
bat pariter ante captiuitatem ſi apud hoſtes moriatur, nam vſucapio non completur; vt etiā liquet ex glo.
noſtra infra in verbo Quemadmodum, & in verbo egerunt; & in verbo per ſeruum : ita à ſimili & à caſu
ante captiuitatem arguendo Paulus ad caſum poſt captiuitatem, vult dicere quòd ſi captus apud hoſtes
25 deceſſit, † fictio Corneliane non proderit vt inchoetur, progrediatur, & compleatur vſucapio in his quę
26 ſeruus emit poſt captiuitatem, etiam ex cauſa peculiari vt præſupponitur : quamuis † fictio poſtliminij in
iſtis quæ ſeruus poſt captiuitatem emit ex cauſa peculiari proſit vt compleri potuerit vſucapio, ſicuti re-
ſponderat ſupra in verſic. nam ſi Dominus ibi in tex. intelligi vſucaptum. In hac igitur argumentatione
27 præſupponit intelligentiam & pro conſtanti I. C. quòd † ſi quis ante captiuitatem poſſidebat per ſeruos,
compleri potuit interim vſucapio ſi poſtliminio reuertatur, vt patet ex verbis ipſius Pauli ibi. ¶ Quēad-
modum .n. poſtliminio reuerſus plus iuris habere poteſt. Quod ſane ea ratione euenit, quoniā poſſeſſio
in quantum erat facti & corporis, fuit conſeruata & continuata per ſeruos, in quantum autē erat iuris re-
ſtituitur per poſtliminium, quod omnia iura reſtituit, vt infra in gloſſ. in verbo per ſeruum ibi quarta deci-
ſio. Et tamen ſi decedat apud hoſtes hic qui poſſidebat ante captiuitatem per ſeruos, præſupponit etiam
intelligentiā & pro conſtanti I. C. quòd non completur vſucapio virtute fictionis legis Cornelię, vt lym-
pidiſsimè aperit ſub eodem verſiculo quemadmodum enim, in tex. ibi quam in his quæ per ſe vel per ſer
28 uum poſſidebat ſubdens rationem. Quoniam † hæreditas in quibuſdam non autem in omnibus repræſen-
tat perſonam defuncti, & ſic non repręſentat in iſto caſu in quo agitur de repræſentando defunctum in his
quæ ſunt facti & animi, quod nequaquam habet hæreditas l. 1. §. Scæuola ff. Si quis teſtam. liber eſſe iuſſ.
fuer. non ſolum quando agitur de noua vſucapione inchoanda prout hic in verſic. in ſucceſſoribus,
29 ſed † etiam quando ageretur de iam cepta vſucapione perficienda, quia verſamur in caſu ficti & non ve-
30 ri defuncti, vt ſuperius in tertio præludio tradidi ſub nu. 13 & ſeq. † Cur autem proponatur hæc ſecunda
quæſtio principalis in ſeruo non autem in filio, vt ibi quod ſi ſeruus : & cur diuerſum in poſtliminio quā
in lege Cornelia : & cur hæreditas in repræſentatione defuncti non contineat ea quæ ſunt facti & animi;
atque alia plurima ſcitu omnino digniſsima cur ita deciſa fuerint: redditur à nobis manifeſtum ſuper gloſ
31 ſis noſtris, quas † ſanctiſſimi Redemptoris noſtri I e s v C h r i s t i veri Dei, & veri hominis, miſeri-
cordi gratia, edere potuimus in lucem; & ſigillatim ſuper glo. in verbo quòd ſi ſeruus nu. 36. & in gloſ.
in verbo per ſeruum nu. 47. & in gloſ. in verbo hęreditates nu. 85. Et hic quem ſuperius commemoraui,
32 eſt (niſi me fallit animus) veriſsimus ſenſus totius literæ huius noſtri cōtextus: † Cui reſpondet prio-
ri loco textura filorum totius compoſitionis ipſius literæ ab initio ad calcem decurſo ſpatio. Cui inſuper
ſecundo loco reſpondet concordia plurimarum legum, quæ alioqui in ſenſu genuino ipſarum nunquam
potuiſſent accipi; nec hactenus fixis firmiter pedibus potuerant intelligi, de quibus infra in gloſſ. in
verbo non habere. Tandem cui tertio loco reſpondet veritas terminorum iuris quàmplurimorum, & in-
uiolabilis exiſtentia principiorum, quæ inficias iri nimis indecorū eſſet; & propterea ex omnibus qui pro-
debentur ſenſibus ſuper intellectu huius legis, nullus niſi iſte erit cuique legitimè probandus. Vt autem
longè manifeſtius iſta comprehendi poſſint, operæpretium me facturum exiſtimaui (annuente pro ſua mi-
ſericordiſsima pietate ipſo Domino I E S V Saluatore noſtro) Scholijs quibuſdam, imo & vberioribus
inſuper gloſſationibus, vt ſuperius indicabam, hunc textum interpretari. Tu autem Chriſtiane le-
ctor veniam mihi datum iri velis, ſi quid erratū aliquando deprehenderis: nam id humanæ fragilitatis ac

noſtræ miſeriæ, imbecillitatiq; tribuatur; Sin autem puriſsimę veritatis limina mē non modo attigiſſe, ſed intima eius penetralia, ac ſacroſancta omnino peruaſiſſe (ſine inuentione, ſine electione) Delubra conſpexeris, plurimasq; rationes plurimorum principiorum hactenus incognitas, pariter me deprehendiſſe;
33 ac inſigniores quoſdam terminos iuris forſan detexiſſe perlegeris: Da gloriā † lateri ſacratiſsimo, ac totius diuinitatis oceano ipſius Domini noſtri IESV CHRISTI; vnde ſanguis & aqua redemptionis noſtræ profluxerunt, atq; omnis ſapientia Glorioſiſsima Virgine intercedente cū omnibus Sanctis in nos deriuatur; Cui omnis veritas ſemper ſit benedictio, laus, honor, & gloria, cū PATRE ſuo omnipotenti, & SPIRITV SANCTO paraclyto, per infinita ſæculorum ſæcula. Amen: Nam † omnis veritas à
34 quocunque dicatur, à Spiritu Sancto eſt.

IESV.



PAVLVS

SI QVIS pro emptore poſsidebat[t], ante vſucapionem[a] ab hoſtibus captus ſit: Videndum eſt an Hæredi[b] eius procedat vſucapio: Nam interrumpitur[c] vſucapio. Et ſi ipſi[d] reuerſo non prodeſt, quemadmodum[e] hæredi eius proderit: Sed verum[f] eſt eum in vita ſua deſiiſſe poſsidere, ideoque nec poſtliminium ei prodeſt, vt videatur vſucepiſſe. Quod ſi ſeruus[g] eius qui in hoſtium poteſtate eſt emerit[h], in pendenti eſſe vſucapionem Iulianus ait: Nam ſi dominus reuerſus fuerit intelligi vſucaptum[i] ſi ibi deceſſerit dubitari[k] an per legem Corneliam ad ſucceſſores eius pertineat; Marcellus poſſe plenius[l] fictionem legis Corneliæ accipi. Quemadmodum enim[m] poſtliminio reuerſus plus iuris habere poteſt in his quæ ſerui egerūt[n] quàm in his quæ per ſe vel per ſeruum[o] poſſidebat cùm ad hoſtes peruenit; Nam hæreditates[p] in quibuſdam vice perſonæ fungi receptum eſt: Ideoque in ſucceſſoribus[q] locum non[r] habere vſucapionem.

IESV.

35 *Poſsidebat*: Per ſemetipsū intellige, quia in † hoc caſu loquitur ſemper Paulus I.C. in hac priori parte tex. vſque ad §. quod ſi ſeruus, & patet ex argumentatione, quam à paritate rationis, & inſuper à ſede à maiori ſtruit de caſu poſtliminij ad caſum legis Corneliæ infra in verſiculo & ſi ipſi; quæ alioqui non concluderet, immo ineptior eſſet, & frigida, vt animaduerti poteſt illic in gloſſ. noſtra ſuper verbo ſed verum eſt licet quo ad caſum legis Corneliæ verum ſit etiam quando captus per aliū poſsidebat, quod non complectur vſucapio, vt infra in alia gloſſ. noſtra in verbo per ſeruum; & patet an-